

1662.

1662.

Oratorem in Vicarium eligi ceteris exclusis.

ri volumus pro expresso, suspenso, ac ad nostrum, & dictae Sedis beneplacitum voce activa, & passiva privati, aliisque poenis innodati reperiantur: Hinc est, quod Nos pro commissa Nobis a Domino omnium Ecclesiarum sollicitudine providere volentes, ne dicta Ecclesia Bisuntina, propter praemissa aliquod in spiritualibus, & temporalibus detrimentum patiat, ac de tua fide, prudentia, integritate, vigilantia, & Catholicae Religionis zelo plurimum in Domino confisi; Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, de qua Apostolica potestatis plenitudine, praevia electionis, seu deputationis cujusvis alterius Vicarii, & Vicariorum a praedicto Capitulo hactenus forsitan electi, & deputati, aut electorum, & deputationum revocatione, & cassatione, prout illam, quantum, & prout facta fuerit, cassamus, annullamus, & revocamus, Te in Civitate, & Dioecesi Bisuntina, Vicarium, & Officiale, ac Nostrum, & Sedis Apostolicae praedictae Commissarium in spiritualibus, & temporalibus, tenore praesentium quamdiu Ecclesia praedicta vacatio duraverit, & a Nobis de alio Archiepiscopo, & Pastore illi provisum fuerit, ac interim ad nostrum, & ejusdem Sedis Apostolicae beneplacitum facimus, constituimus, eligimus, & deputamus cum eisdem facultate, auctoritate, & potestate quoad exercendum ea, quae Jurisdictionis, & voluntariae existunt, excepta tamen facultate, Beneficia Ecclesiastica conferendi, ac literas commendatitias, & dimissorias ad Sacros Ordines concedendi, quam Archiepiscopus Bisuntinus pro tempore existens habere, & exercere solet in universa Dioecesi in foro conscientiae, & contentioso, & alias quomodocumque, & qualitercumque, necnon Ecclesias & loca pia omnia, etiam Monialium Monasteria, etiam exempta quoad clausuram ad Sacri Concilii Tridentini praescriptum visitandi, & reformandi, ac in visitatione hujusmodi quam celerrime, & debita cum diligentia proceden. Judices, Consultores, Vicarios foraneos, Notarios, Actuarios, Magistros Actorum, Procuratores, Fiscales, Exequutores, omnesque alios, & singulos Officiales tam majores, quam minores curiae Archiepiscopalis, quibuscumque nominibus censeantur in Civitate, & Dioecesi praedictis, quoties opportunum fore judicaveris, & alias juxta solitum removendi, ac alios in eorum loca eligendi, deputandi, & subrogandi, multasque, & poenas pecuniarias apud aliquem probum, & idoneum virum per Te de Clero eligendum deponendi, piis usibus arbitrio tuo applicandas; quascumque Literas Aposto-

licas Archiepiscopo praedicto, sive ejus Vicario, vel Officiali directas, & dirigendas aequae ac si sibi specialiter dirigerentur aperiendi, & exequendi Literas monitoriales in forma significavit pro rebus deperditis, seu furto sublati juxta praescriptum dicti Concilii Tridentini, ac Bullae fel. rec. Pii Papae V. Praedecessoris Nostri concedendi. In Beneficiis de Jurepatronatus, ejusque erectione, & constitutione, necnon locationibus, emphyteutis, alienationibus, & permutationibus honorum Ecclesiarum juxta formam Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, auctoritatem, & consilium praestandi, causas criminales, civilesque, & Beneficiales, ac matrimoniales, & alias quascumque principales, & incidentes, etiam per appellationem devolutas, & quae ad Archiepiscopum Bisuntinum quovis modo pertinent de jure, vel consuetudine in Civitate, & Dioecesi praedictis cognoscendi, audiendi, committendi, sineque debito terminandi, contra delinquentes per Inquisitionem, etiam ex officio prout Juris fuerit procedendi, eosque corrigendi, multandi, puniendi, deponendi, & excommunicandi, suspendendi, & interdicendi, poenarumque, & sententiarum earumdem moderationem, & mitigationem tibi reservandi, necnon censuras, & poenas ipsas in casibus a jure permixtis aggravandi, & reagravandi, ac ab illis, aliisque casibus Archiepiscopo praedicto reservatis, prout tibi videbitur convenire in utroque foro absolvendi, & absolvi faciendi, ceteraque omnia faciendi, & exequendi, quae dicto Archiepiscopo ratione Jurisdictionis de jure, & consuetudine competunt in praemissis, & circa ea, etiam si talia forent, quae magis specialem, & expressam exigerent Commissionem.

§. 2. Volumus autem, ut pro tua, & familiae tuae sustentatione ex redditibus Ecclesiae praedictae provisio annua ducentorum scutorum monetae Romanae pro tempore, quo officium praedictum, ut praemissum est, exercueris tibi persolvatur, & ejus rata de quadrimestri in quadrimestre anticipata solutione ultra emolumenta ordinaria, & extraordinaria licita, solita, & consueta, ita ut si ii, ad quos spectat in solutionibus, vel earum aliqua defecerint suo tempore, lapsis decem diebus ex fructibus Mensae Archiepiscopalis pro deficiente portione, quae tibi videbitur, propria auctoritate capere, & exigere libere, & licite possis, & valeas, simulque habitationem congruam in Palatio Archiepiscopali pro tempore Officii habere debeas, dantes tibi quoque facultatem Contradictores quoslibet, & rebelles, ac praemissis non parentes quoscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentis poenis pecuniariis piis usibus, arbitrio tuo applicandis, ac etiam per censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in

Nonnulla facultates.

Ex Ecclesia redditibus ducenta scuta, oratori persolvantur.

1662.

1662.

Derogatio contrariorum

Reservatio.

Dat. die 3. Apr. 1662. An.VII.

Ex Regest. in Sacri. Bro.

Expositio.

in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon praedictae Ecclesiae Bisuntinae, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiae, illiusque Capitulo, & Canonice, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & forma in illis tradita pro servata habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, & declaramus, quod salva sit, & reservata quaecumque facultas, & jurisdicatio competens Ven. Fratris Episcopi Andrevidensis praedictae Ecclesiae Bisuntinae Suffraganeo vigore Literarum Apostolicarum ejus deputationis, si quae in praemissis, vel aliquo praemissorum competeret, cui per nostras praesentes literas derogare, seu praedictare non intendimus.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 3. Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXVI.

Prohibitio transitus Fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanae Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum ad Calceatos, vel Discalceatos Congregationis Hispaniae, cum praecipito, ut qui huc usque transferunt remittantur &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Discalceati nuncupati Congregationis Gallicanae Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod saepius evenit, ut aliqui Fratres Congregationis hujusmodi absque ulla dispensatione Apostolica tam ad dicti Ordinis Fratres Calceatos de familia, quam ad Calceatos modificatos nuncupat, & Discalceatos Congregationis Hispaniae transire praesumant, & per Superiores Generales in Conventibus suis recipiantur. Quod fieri nullo modo debet, nec potest; cum praeterquamquod in dicta Gallicana Congregationis, & Regularis Observantiae maximum cedat detrimentum, id etiam in Literis erectionis Congregationis hujusmodi a felic. recordat. Urbano Papa VIII. Praedecessore nostro die 12. Septem. 1629. in simili forma Brevis emanatis, sub poenis Apostasiae (nisi prius a Sede Apostolica dispensatio fuerit obtenta) expresse prohibeatur. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui praefatos Urbani Praedecessoris Literas inspexerunt, partesque audiverunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolica tenore praesentium sub poenis eo ipso incurren. privationis vocis activae, & passivae, necnon officiorum, & inhabilitatis ad ea, & alia quaecumque in posterum obtinenda, praecipimus, & injungimus tam Generali, & aliis quibuscumque Superioribus Regularibus Ordinis praefati, ac etiam Calceatorum modificatorum nuncupatorum, quam Superioribus Congregationum praefatorum Excalceatorum Nationis Hispaniae, ut in futurum Religiosos ullos memoratae Congregationis Excalceatorum Gallicanae nullatenus recipiant, seu recipere audeant, atque huc usque receptos statim ad eandem Congregationem, a qua absque apostolica dispensatione discesserunt, remittant, exceptis illis, qui modo reperiuntur transitum fecisse ad Congregationem Excalceatorum Hispaniae: Salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Praeterea praefata Congregationis Gallicanae Superioribus simili modo, auctoritate, & tenore praedictis injungimus, ut eorumdem Fratrum reditum religiosum cum charitate excipiant, nec illos propterea (si tantum exceptis, qui aliquorum perpetratorum criminum poenas subterfugituri discesserunt) ullis poenis, aut privationibus afficiant; Ac proinde ita circa praemissa fieri, & exequi respective sub jam dictis poenis mandamus, & praecipimus.

§. 4. Decernentes eandem praesentes

Confirmat ut in rubr.

Redeunt punire Superiores vocat

D d 2 lite-



1662.

Claufulas ap-  
ponit.

litteras semper firmas, validas, & efficaces  
exillere, & fore, suosque plenarios, & in-  
tegrus effectus sortiri, & obtinere, ac ab  
illis, ad quos spectat, & pro tempore spe-  
ctabit inuolabiliter obseruari; Sicque in  
premissis per quoscumque Iudices ordina-  
rios, & delegatos, etiam causarum Palatii  
Apostolici Auditores, iudicari, & definiri  
debere, ac irritum, & inane, si secus su-  
per his a quoquam, quavis auctoritate  
scienter, vel ignoranter contigerit atten-  
tari.

Contracta  
tollit.

§.5. Non obstantibus premissis, ac Con-  
stitutionibus, & Ordinationibus Apostoli-  
cis, necnon quatenus opus sit predicto-  
rum Ordinis, & Congregationum, etiam  
juramento, confirmatione apostolica,  
vel quavis firmitate alia roboratis statu-  
tis, & consuetudinibus, privilegiis quo-  
que, indultis, & Literis Apostolicis in  
contrarium premissorum quomodolibet con-  
cessis, confirmatis, & innovatis. Quibus  
omnibus, & singulis, illorum tenores pre-  
sentibus pro plene, & sufficienter expressis,  
ac de verbo ad verbum insertis habentes,  
illis alias in suo robore permansuris, ad  
premissorum effectum hac vice dumtaxat  
specialiter, & expresse derogamus, ceteris-  
que contrariis quibuscumque.

Transumptio-  
nem fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem  
presentium transumptis, etiam impres-  
sis, manu alicujus Notarii publici sub-  
scriptis, & sigillo personae in Ecclesia-  
stica dignitate constitutae munitis, eadem  
prorsus fides ubique locorum, tam in Ju-  
dicio, quam extra illud adhibeatur, quae  
ipsismet presentibus adhiberetur, si forent  
exhibita, vel ostensa.

Dat. die 15.  
Apr. 1662.  
An.VII.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem  
sub Annulo Piscatoris, die 15. Aprilis 1662.  
Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXXVII.

Impositio subsidii scutorum tercentorum  
millium monetae super bonis undecim  
Congregationum Regularium, pro San-  
ctae Sedis Apostolicae necessitatibus.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus  
Constitutionis.

CUM inter ceteras Summorum Ponti-  
ficum curas, quae animum intime an-  
gunt, quietis Subditorum securitas sit, ex  
quo Nos ad hanc S. Sedem supremo Dei  
beneficio conscendimus, praecipuum No-  
bis studium fuit, ut qui in nostra sunt ditio-  
ne, immunes a quolibet actu timoris ea-  
tranquillitate fruenterent, quae pretio nullo  
fatis compensatur; fatius insuper arbitrati  
in Nos effundere gravissimas sollicitudines,  
ut leuiori pondere itidem praemerentur.  
Verum cum perturbationum vapores as-

furgere conspiciantur, ex quibus Coeli hu-  
jus serenitas feliciter quidem, sed maxi-  
mis impensis hucusque servata posset ob-  
nubilari: Idcirco Nobis est evigilandum  
ne in nubem densari difficillime dissolan-  
tur, cum adhuc dispersi non ardue possent  
dissipari: ea tamen est rerum humanarum  
conditio, ut ingenti nonnisi pecuniarum  
subsidio tranquillitas ematur: propterea  
peruim iter, & emergentibus periculis fa-  
miliare Nobis est ineundum, & dum vigi-  
les elaboramus pro subditorum securitate,  
ipsi quoque curas nostras urgentes minuire  
pecuniis elargitis minime grauentur. Quod  
ut adhuc promptius, & illo, quo potest mi-  
nori incommodo praestare valeant, reme-  
dia desuper adhibemus opportuna.

Indicium sub-  
dium 100-m-  
scutor.

§.1. Motu igitur nostro proprio, non  
ad alicujus instantiam, sed ex scientia, me-  
raque deliberatione nostris, ac de apostoli-  
cae potestatis plenitudine indicimus, atque  
imponimus, hac una sola vice dumtaxat  
subsidium tercentorum millium scutorum  
monetae Romanae super omnibus bonis,  
proprietatibus, fructibus, redditibus, de-  
cimis, censibus, & aliis iuribus Congrega-  
tionum Cassinensis alias S. Justinae de  
Padua, Lateranensis, Montis Oliveti, Ca-  
maldulensis etiam quoad Eremitas Camal-  
dulenses, & Montis Coronae, Carthusien-  
sis, S. Salvatoris, Vallis Umbrosae, Syl-  
vestrinae, S. Georgii in Alga, Coelestinor-  
um, Cisterciensis Lombardiae, ac Tusciae,  
& S. Hieronymi, earumque Monasterio-  
rum, Prioratuum, Praepositarum, Bene-  
ficiorum, & Officiorum cum cura, &  
sine cura, necnon Mensarum, Membro-  
rum, Grangiarum, & locorum omnium  
illis annexorum ubicumque existentium,  
per ipsarum Congregationum Superiores,  
Abbatibus, Priores, Praepositos, Con-  
uentus, Capitula, & Personas juxta solitam ta-  
xam inter ipsos faciendam Theaurario  
nostro Generali Romae illorum periculis,  
& impensis, & alias quemadmodum inter  
dilectum filium nostrum Flavianum tit. San-  
ctae Mariae de Populo nuncupat. Presbyte-  
rum Cardinalem Chisium nuncupatum,  
Procamerarium nostrum, quem ad hoc  
Commissarium, & Procuratorem nostrum  
cum omnibus, & quibuscumque privilegiis,  
jurisdictionibus, & iuribus, quae omnes  
alii antehac Commissarii, & Procuratores  
hujusmodi habuerunt, quibuscumque uti,  
& gaudere potuerunt, constituimus, & il-  
los, siue illorum Procuratores conuen-  
runt, integre persolvendum. Decernentes  
eos omnes ad praestationem, & solutionem  
subsidii praedicti secundum taxam hujus-  
modi faciendas esse efficaciter obligatos,  
etiam si bona, proprietates, fructus, & om-  
nia alia supra dicta, quarta, decimis, sub-  
sidii, & aliis multis, maximisque oneribus  
sint gravata.

§.2. Et proinde considerantes dictam  
summam nulla ratione congeri, nec con-  
gestam debito tempore numerari posse, ni-  
si de rebus, & proprietatibus praedictarum  
Congregationum, & ipsorum locorum ali-  
qua

1662.

Ordinationes

qua distrahantur. proindeque de similis po-  
testatis plenitudine statuimus, ut singuli  
Superiores praedicti ratam subsidii hujus-  
modi sibi contingentem per sua quisque  
Monasteria, Prioratus, Praepositorum, Be-  
neficia, Officia, Membra, Grangias, an-  
nexa, Conuentus, & loca distribuunt, &  
assignent, & distributam, & assignatam ab  
Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Mona-  
sterialibus, Conuentibus, locis, & personis,  
etiam per subtractionem rerum, & pro-  
ventuum, & alias uti viderint expedire,  
omni, & quacumque exceptione sublata,  
vel impedimento cessante exigant.

§.3. Sed quia de universis dictarum Con-  
gregationum, & locorum suorum proventibus  
supradicta summa vix posset congre-  
gari; Nos de dictorum Superiorum fide,  
& probitate consilii plenam, liberam,  
& absolutam facultatem, mandatum, &  
potestatem tribuimus singulis Congrega-  
tionibus, & pro eis suis Superioribus, ut  
nullius requisiti consensu, ac etiam inuitis,  
& reclamantibus particularibus Abbatibus,  
Prioribus, Praepositis, Conuentibus, &  
personis, etiam unitorum Monasteriorum,  
& locorum, possint, & valeant de omni,  
& quacumque proprietate, & dominio tem-  
porali quuscumque Congregationis, &  
ejus Monasteriorum, Prioratuum, Prae-  
positorum, Beneficiorum, Officiorum,  
Mensarum, Membrorum, Grangiarum,  
annexorum Conuentuum, & locorum praedi-  
ctorum ubicumque existentium, etiam  
preuicis perpetuis suppressionibus, & ex-  
tinctionibus Beneficiorum, & Officiorum,  
ac Grangiarum hujusmodi (consulta ta-  
men prius Sede Apostolica, quoad suppres-  
sionem, & extinctionem praedictas tantum)  
ita ut illis secutis, ipsorum bona, & proprie-  
tates Monasteriis, a quibus illa dependent,  
applicata, & appropriata remaneant, Bo-  
na, census, Feuda, loca Montium, Ca-  
nones, Livellos, & alia quuscumque qual-  
itatis, & naturae jura pro confectione quan-  
titatis, quae ad complementum supradictae  
summae tercentorum millium scutorum,  
necessaria erit dumtaxat, ac si taxam quam-  
libet ex Congregationibus praedictis tan-  
gentem excedant, dummodo pretium pro  
excessu hujusmodi unico contextu in em-  
ptionem aliorum bonorum stabilium ad fa-  
uorem ejusdem Monasterii, uti bona ven-  
dita existebant, convertatur, seu pecuniae  
excessum hujusmodi concernentes apud  
Montem Pietatis, seu penes aedes publicas  
deponantur, inde non extrahenda, nisi ad  
effectum illas reinuestiendi modo, & forma  
premissis, tam conjunctim, quam diuisim  
possessa, etiam si praecisis, & singularibus  
obligationibus, & oneribus juxta volun-  
tatem eorum, qui bona, & alia supra dicta  
quomodolibet dederunt, concesserunt, &  
elargiti sunt, sint obnoxia, & subiecta, re-  
praesentata etiam pecunia, necnon etiam  
anticipatis solutionibus locare, siue in em-  
phyteusim, siue alias ad unam, duas, vel  
plures generationes, seu nominationes, seu  
etiam in perpetuum concedere, siue cum

aliis permutare, ac etiam libere, vel cum  
pacto redimendi, & etiam de bonis, & re-  
bus unius, siue plurium Monasteriorum,  
& locorum, & ejusdem Civitatis, vel Pro-  
vinciae, etiam si Castra, Jurisdictiones, &  
alias hujusmodi minus utilia existant, prout  
Superioribus cuiuscumque Congregationis  
magis expediens videbitur, siue ad praesens,  
siue quocumque temporis intervallo  
pro extinctione censuum pro solutione praedi-  
ctae summae per eos respectue contracto-  
rum, itaut singulo casu hujusmodi vendi-  
tio, & pretii conversio in extinctionem cen-  
suum hujusmodi, seu partis eorum unico  
contextu fiat: seu saltem pecuniae ex ven-  
ditionibus praedictis redigendae apud Mon-  
tem Pietatis, seu aedes publicas, ut supra  
deponantur, inde non extrahenda, nisi pro  
extinctione censuum, seu partis eorum hu-  
jusmodi vendere, ac quocumque alio mo-  
do, & titulo alienare, & praeterea omnia,  
& quaecumque bona feudalia, emphytea-  
tica, vel alias censibus, canonibus, pensio-  
nibus, recognitionibus erga se obnoxia,  
pretio liberare, extinguere, & affrancare,  
necnon super bonis praedictis census annuos  
pro rata singulas Congregationes praedictas  
tangente perpetuos, & redimibiles (ser-  
vata tamen forma Constitutionis fel. rec.  
Pii PP. V. Praedecessoris nostri super crea-  
dis censibus editae) creare, & imponere,  
necnon unum, vel plura Monasteria, siue  
perpetuo, vel ad tempus, prout Superiori-  
bus praedictis magis placuerit, & expedire  
videbitur, suppressimere, & claudere, nec-  
non eadem Monasteria secuta integra so-  
lutione rate ad quamlibet ex dictis Con-  
gregationibus quomodolibet spectantis de-  
nuo, prout eisdem Superioribus videbitur,  
& placuerit, nulla nostra, & successorum  
nostrorum, & Sedis Apostolicae, & quus-  
vis alterius licentia requisita de novo ape-  
rire, & in eis prout antea Religiosi Ordini-  
nis, & Congregationis, cuius Monaste-  
rium, seu Monasteria existunt, degere li-  
bere, & licite valeant.

Const. Pii V.  
servati vult.

§.4. Necnon Monasteria, Prioratus,  
Praepositorum, Beneficia, Officia, Mensas,  
Membra, Grangias, annexa, Conuentus,  
& loca praedicta a quibuscumque obligatio-  
nibus, oneribus, fideicommissis, & cadu-  
citatibus, devolutionibus, substitutionibus,  
etiam ad favorem aliorum piorum loco-  
rum, quibus occasione bonorum, censuum,  
proprietas, juriarum, aliorumque, & quo-  
rumcumque per eos vigore praesentium,  
concedendorum, vendendorum, alienan-  
dorum, permutandorum, & de quibus alias  
quomodolibet in vim facultatis, & aucto-  
ritatis eis per easdem praesentes nostras at-  
tributa quomodolibet disponent, quibus  
etiam quomodolibet, & ex quacumque cau-  
sa, etiam per viam testamentorum, codi-  
cillorum, legatorum ad pias causas, dona-  
tionum inter vivos, seu quarumcumque  
aliarum elargitionum sunt quomodolibet  
obnoxia, & subiecta, penitus, & omnino  
absolvere, eximere, & liberare.

§.5. Ita tamen quoad obligationes, &  
one-



onera in alia bona, & proprietates ejusdem Congreg. transferre omnino debeant, & bona, & proprietates, in quæ obligationes, & onera hujusmodi translata fuerint, eisdem perpetuo subiecta, & obnoxia remaneant, conditiones, & pacta super his cum cautionibus, vinculis, obligationibus, & alias res universas, & singulas cujuscumque Congregationis pro ea parte sibi, & suis locis contingente complectentibus, necnon clausulis, & decretis requisitis, & opportunis inire contractus, instrumenta, cæteraque necessaria facere, & has concessionibus, venditionibus, permutationibus, liberationibus, affrancationibus, suppressionibus, creationibus, & impositionibus, unam videlicet, vel plures etiam ad effectum creationis, vel extinctionis, seu venditionis, vel recuperationis aliarum hujusmodi rerum invicem, ac simul, vel plures facere, & quoties eis placuerit variare (consulta tamen prius Sede Apostolica quoad variationes hujusmodi tantum) etiam sine processu in forma, si in evidentem, aut alias formando, & habendo, aut consensu, vel auctoritate generalis Capituli requirendo, & pro dictorum omnium effectu per se, vel alium, seu alios singulos Abbates, Præpositos, Priores, Conventus, & Personas, etiam Monasteriorum, locorum unitorum, tam conjunctim, quam divisim ad locationes, concessionibus, permutationibus, venditionibus, alienationibus, liberationibus, extinctionibus, affrancationibus, suppressionibus, & alia prædicta omnia etiam manu regia compellere, Contradictores impediens, vel reclamantes Monasteriis, Prioratibus, Præpositatibus, Dignitatibus, admissionibus, & officiis, prout sibi videbitur, deponere, ad futura inhabiles efficere, excommunicationibus, aliisque censuris, & poenis innodare, Interdictum Ecclesiasticum apponere, auxiliumque brachii secularis invocare, cæteraque in prædictis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, exequi valeant, etiam si talia contigerint, quæ licentiam, facultatem, aut mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus est expressum. Verum quia Congregationum, prædictarum Procuratores, qui hic sunt, mandatum ad prædicta speciale non habent, quia etiam nonnullarum Procuratores, vel hinc abesse, vel omnino non esse contingere potest, & præsens necessitas urget hæc quamprimum faciendi.

§.6. Nos defectum hujusmodi nostræ auctoritate supplere volentes, supradictis Procuratoribus etiam nomine illarum Congregationum, quarum Procuratores hic defuncti, & pro ea parte illos tangente dumtaxat, vocatis tamen in eorum loco aliquo, vel aliquibus Abbatibus, Superioribus, aut aliis Præsentibus suorum locorum, qui hic sunt, tam conjunctim, quam divisim prædicta omnia, & singula usque ad prædictam summam etiam, & pro cujusque rata dumtaxat, faciendi, gerendi, exequendi, & obligandi liberam, & absolutam licentiam, & auctoritatem tribuimus, ca-

que si fiant, postquam factæ fuerint, illud idem robur habere, ac universis, & singulis, ad quos res pertinebit, perinde suffragari debere volumus, ac si in suis Capitulis Generalibus, ac alias servatis omnibus, quæ de jure, & juxta statuta, consuetudines, privilegia, & indulta singularum Congregationum prædictarum servari deberent, omnino servarentur, suppletes ex nunc prædictos, & quoscumque alios juris, & facti defectus, si qui intervenerint in eisdem.

§.7. Volumusque prædicta omnia, necnon locationes, concessionibus, permutationibus, venditionibus, alienationibus, liberationibus, affrancationibus, creationibus, impositionibus, suppressionibus, & quæcumque alia, quæ præsentium auctoritate sicut perpetuo consistere, & quæcumque, tam juris, quam facti, & alio quantumvis substantiali defectu impugnari, sive contra eadem præmissa, sic facta, gesta, & executata per quoscumque aliquod juris, vel facti remedium impetrari, aut illo impetrato uti, ac eadem præmissa in jus, vel controversiam reduci nullo unquam tempore posse, neque debere, sed quoscumque concernunt, & concernent in futurum, omni, & quocumque effectu, & commodo pacifice gaudere. Singulasque super singulis locationibus, aliisque omnibus, & singulis præmissis literas, seu earum confirmationes, & alias dispositiones singulas, illas petituris gratis ubique concedi, etiam in forma Brevis, & per Secretariam nostram secretam expediri debere.

§.8. Quocirca prædicto Flavio Cardinali Procamerario, & Commissario nostro plenam, liberam, omnimodam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, Congregationes, Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, & alios prædictos, tam conjunctim, quam divisim ad integram præstationem, & solutionem subsidii prædicti juxta formam indicationis, & impositionis hujusmodi faciendas, etiam per Edictum locis publicis assignandum monendi, & requirendi cum illis, eorumque Procuratoribus conveniendi, deque modis, & cautionibus solutionis prædictæ, & aliis hoc negotium concernentibus paciscendi, obligationes, promissiones, & fidejussiones exigendi, & vicissim præstandi, contractus super his necessarios etiam nostro, & Camera prædictæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundum alia, necnon per præsentem subsidium ipsum procurandi, contumaces, non respondentes, aut deficientes Conventus, & Congregationes interdicto Ecclesiastico supponendi, & singulares personas excommunicationis sententia feriendi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, redeuntes, & obediens absolvendi, super irregularitate propterea contracta dispensandi, & ad pristinum statum restituendi, vices suas, sive totas, sive in parte

parte alii, vel aliis idoneis citra absolutionem, dispensationem, & restitutionem delegandi, cæteraque in prædictis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quam præsentibus sit expressum.

Decretum incitant.

§.9. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut alias specialis, & individua mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, seu cause propter quas præsentibus emanarunt, verificata, & justificata non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis iusta, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissime, et totalis lationis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, seu interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, ac formali, et substantiali, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu pari, ac de Apostolica potestatis prædictæ plenitudine concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentibus, ac omnia, & singula in eis contenta super quibusvis similibus, vel dissimilibus indictionum, impositionum facultatum, mandatorum, concessionum, indultorum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, Sedemque Apostolicam sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis quodcumque faciendis unquam comprehendendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per Superiores Congregationum hujusmodi pro tempore existentes eligenda, concessas intelligi, semperque firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; & sic, & non alias in præmissis omnibus, & singulis censeri. Et ita per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam Causarum Curie Camere Apostolicæ, & Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nun-

cios, ac alias quomodolibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Et nihilominus omnium locorum Ordinariis, quos, sive singulos universi, & singuli Superiores prædicti duxerint eligendos, per Apostolica scripta motu pari mandamus, ut quoties pro parte Superiorum, prædictorum, aut alicujus eorum, tam conjunctim, quam divisim fuerint requisiti, quique videlicet per se, vel alium eandem præsentibus ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ipsique in prædictis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illas, et earum vigore faciendas distributiones, assignationes, locationes, concessionibus, venditiones, liberationes, affrancationes, creationes, suppressiones, impositiones, exemptiones, absolutiones, et alia omnia prædicta cum omnibus inde sequentibus firmiter observari, ac singulos, quos illa concernunt, et concernent in futurum. Non permittentes quemquam contra eas quomodolibet impediri, vel molestari. Contradictores quoslibet per censuras Ecclesiasticas et poenas prædictas, cæteraque juris, et facti remedia, omni, et quacumque appellatione remota compescendo, invocato etiam supradicto auxilio brachii secularis.

Contravenientes puniuntur.

§.10. Non obstantibus prædictis, ac Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quesito non tollendo, ac Legatis, Testamentis, Codicillis, Donationibus, elargitionibus, ac aliis dispositionibus ex quacumque causa, occasione, et tempore hætenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis, et observatis respective, etiam alienationes, immutationes, aut alias conditiones fieri specialiter, et expresse prohibentibus, ac in eventum alienationis, immutationis, sive non adimplementi obligationum, et onerum in eis contentorum, aut alterius dispositionis, pia, aut alia loca etiam plura ordine successivo ipso facto substituentibus, vel illa ad hæredes redire omnino volentibus, ac alias quomodolibet in contrarium conditis, ac quocumque vinculo firmitatis, et aliis etiam ultimis voluntatibus in contrarium prædictorum quomodolibet disponentibus, quæ quoad præmissa sufficienter, specialiter, et expresse commutamus, ac pia me: Bonifacii Papæ VIII. de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, et Symmachii, Pauli II., et Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum, etiam de rebus Ecclesie non alienandis, ac nostris, quantum in aliquo obstitent, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac in universis libris, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac Congregationum, Monasteriorum,

Derogat contrariis.



rum, Conventuum, et Ordinum prædictorum, aliisque quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, aliisque omnibus, & singulis, etiam si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad præstationem, vel solutionem aliquam minime teneantur, nec ad id ullatenus, aut nisi per Capitula generalia, & cauis in eis prius propositis, matureque discussis, compelli, interdici, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam de dicto indulto mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel omnino inserta earumdem præsentium, & per ipsas attributæ facultatis, & auctoritatis effectus, & exequutio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum habenda est in nostris Literis mentio specialis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, cautas, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum, insertis, expressis, & servatis respectivo, habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad prædictorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset eisdem præsentibus quocumque illis opus erit, perferre.

Transumpti  
eundi mandat

Sanctio  
pensis

§.11. Volumus autem, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, et persone in dignitate Ecclesiastica constitutæ, eisque Curie sigillo obsignatis, eadem illa prorsus fides in iudicio, et extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum indictionis, impositionis, facultatis, mandati, potestatis, tributionis, concessionis, absolutionis, exemptionis, liberationis, alienationis, derogationis, commissionis, et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignam onem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli

Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domin. 1662. 18. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 18. Apr. 1662. An. VIII.

CCCLXXXVIII.

Super contributione Ecclesiasticorum Regnorum Castellæ, & Legionis decem, & novem millionum ducatorum cum dimidio pro Rege Catholico.

Ex Regof. in Secret. Breve.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Orthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelus, ac singularis in Nos, & Apostolicam Sedem devotio, aliisque Catholici nomine, optimo jure, insigniti Regis præclara merita, quæ in maiestate tua coelesti gratia resplendent, plane exigunt, ut subsidia pro eisdem fidei, & Dominiorum tuorum præsertim adversus hereticorum conatus defensione a tuis subditis prompte tibi oblata quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videatur temporum conditio adjuvemus.

Procuratum.

§.1. Cum itaque sicut maiestatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum Regnorum Castellæ, & Legionis in eorum comitiis, seu curiis infra scriptum subsidium maiestati tuæ præstare prompte obtulerint, & ad prædictum effectum consenserint impositioni Gabellarum seu Sifarum super vino, aceto, oleo, & carne videlicet octavæ partis specierum, vel pretii vini, aceti, & olei, ac ultra Sifas super carne antea impositas, & trium regalium pro quolibet capite pecudum, & trium morapetinum pro quolibet libra carnis, quæ minutatim venditur, sedecimque morapetinum pro qualibet mensura arroba nuncupata vini sifati, alteriusque morapetini pro qualibet mensura, acumbra nuncupata vini etiam sifati, ac sedecim morapetinum pro qualibet mensura olei arroba nuncupata, & quatuor morapetinum pro qualibet libra candelarum de sevo, & saponis, vel alias verioribus quantitibus impositarum, & auctarum, quæ sunt exigendæ, & percipiendæ durante sexennio incipiendo a prima die Augusti currentis Anni 1662. nempe pro summa decem, & novem millionum cum dimidio alterius millionis, ad rationem trium millionum, & ducentorum, & quinquaginta millium ducatorum monetæ Hispaniæ quolibet anno prædicti sexennii solvenda ex prædictis Gabellis, seu Sifas super prædictas rerum species, ut præfertur, impositis, & auctis, ita ut omnes tam laici, quam ecclesiastici prædictorum Regnorum non solum ementes, & vendentes, sed etiam

Expositio.

etiam illi, qui prædictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis, vel affectibus, aut respective emunt in vinis, vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu alias ex quovis alio redditu, & introitu habent, & consumunt, itaut omnes laici cuiuscumque status, gradus, & conditionis, ac præminentie ad id subsidium contribuere, & Gabellas, seu Sifas huiusmodi solvere deberent, nec ullus laicus immunis, aut exemptus esset, Ecclesiastici quoque eorumdem Regnorum si, & postquam nostra, & huius Sanctæ Sedis licentia, & approbatio accesserit, in subsidio huiusmodi scilicet in prædictis Gabellis super eisdem speciebus impositis, & auctis contribuere, ac Gabellas, seu Sifas prædictas iuxta literarum nostrarum in forma Brevis super prædicta licentia, seu approbatione expediendarum formam, contentiam, & tenorem persolvere deberent. Idcirco pro parte eisdem Maiestatis tuæ Nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris, Cleri, Ecclesiarum, locorumque piorum, & personarum Ecclesiasticarum ad contribuendum in prædicto sexennio incipiendo a prædicto mense Augusti currentis Anni 1662., & ut sequitur usque ad mensem Augusti 1668. finiendo in prædictis Sifas, & Gabellis jam, ut præfertur impositis, & auctis pro solutione prædictorum millionum decem, & novem cum dimidio alterius millionis, attento quod ut Maiestas tua asserit, agatur de communi defensione, & interesse tam laicorum, quam Cleri, Ecclesiarum, locorum piorum, & personarum Ecclesiasticarum prædictorum Regnorum, quodque facultates laicorum ad summam prædictam conficiendam ea, qua expedit, celeritate infra tempus opportunitum non sufficerent.

§.2. Nos igitur nedum promptam, & obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga Te oblationem, sed etiam Maiestatis tuæ erga Fidem Catholicam zelum commendantes, & ad ingentes sumptus, quibus Maiestas tua gravatur ob assidua, quæ pro defensione Fidei Catholice, tuorumque Regnorum, & Dominiorum jugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella, paternæ dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, & exacta scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, volentes Maiestatem tuam favore prosequi gratioso, Clerum, omnesque, & singulas Ecclesias, loca pia, personasque Ecclesiasticas tam seculares, quam cuiusvis ordinis etiam exempti, etiam Societatis Jesu, & Apostolicæ Sedi immediate subiecti regulares, necnon Monasteria utriusque sexus, Conventus, & Collegia, ac Capitula quarumcumque Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis prædictorum, ac in eisdem Regnis commorantes, & commorantia, & respective consistentes, & consistentia ad conferendum, & contribuendum pro eorum rata ad instar laicorum in dictis Gabellis, seu Sifas quoad prædictam

summam dumtaxat decem, & novem millionum cum dimidio alterius millionis prædictorum monetæ illorum Regnorum mediante scilicet solutione prædictarum Gabellarum, seu Sifarum in prædicta quantitate tantum, & super prædictis rerum speciebus dumtaxat in dictis Regnis colligendis, & consumendis, ut præfertur, impositarum durante sexennio dumtaxat a prædicto mense Augusti currentis Anni 1662. ut præmittitur incipiendo, & ut sequitur finiendo, & non ultra teneri, & obligatos esse, non tamen quoad prædictas rerum species, quas Clerus, Ecclesia, locaque pia prædicta, & personæ Ecclesiasticæ prædictæ ex propriis terrenis, seu decimis, & aliis quibuscumque redditibus propriis per se, vel alios, etiam affectuarios suos, vel etiam ex elemosynis, sive ostiatim, sive alio quovis modo pro tempore datis, & erogatis, ac ipsis traditis percipiunt, & pro divino cultu, seu propriis, vel familiarum suarum usibus iuxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cuiuscumque earum, expensis tamen perperam contradicentis per Ordinarios locorum Ecclesiasticos, seu ab eis deputatos faciendam consumunt, pro quibus omnino immunes, et exempti sint, et elapso prædicto sexennio exactio respectu Ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis prætextu val causa continuari possit, etiam si integra summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi non fuisset exacta, quodque si ante finem sexennii prædicti summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi confecta fuerit, Ecclesiastici prædicti amplius contribuere, et dictas Gabellas, seu Sifas, ut præfertur, solvere non debeant, sed præfens gratia expiret, nullaque sit eo ipso. Quodque Clerus, Ecclesia, loca pia, et personæ Ecclesiasticæ prædictæ durante prædicto sexennio non possint gravari ratione cuiusvis alterius novi augmenti prædictarum Gabellarum, & Sifarum super eisdem, ac novæ impositionis aliarum Gabellarum, & Sifarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus Juros nuncupatis de laicorum tantum consensu alias erectis, & impositis, eorumque fructibus, nisi si, & postquam beneplacitum nostrum, seu a Successoribus nostris concessum fuerit, alias in quolibet casu contraventionis, quilibet contraveniens, eo ipso, absque alia monitione, & declaratione, sententiam excommunicationis majoris, reservata illius, ut infra exprimitur, absolutione incurrat, & ad restitutionem illius, in quo exceperit, teneatur, tenore earumdem præsentium decernimus, & declaramus; Volentes etiam quod omnes, & singuli Ecclesiastici præfati solvere recusantes opportunis Juris, & facti remediis per Ordinarios locorum Ecclesiasticos tantum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram Iudicibus Laicis, sive Exactoribus earumdem Gabellarum, sive

Ecclesiasticis  
Regnis Castellæ, & Legionis imponitur contributio 19. millionum ducatorum cum dimidio pro Rege Catholico.

Conditiones  
nonnullæ.



Contravenientes puniatur.

Sifarum, neque coram quibusvis aliis Judicibus Laicis, aut Ministris, sub poena excommunicationis majoris, & aliis poenis a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis inflictis, & comminatis ipso facto sine alia monitione, & declaratione incurrendis a quibus a nemine præterquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum Apostolicorum, etiam Cruciatæ Sanctæ, nequeant conveniri, ullo modo possint, seu debeant, sed a prædictis Ordinariis Ecclesiasticis tantum ad solutionem hujusmodi compelli valeant, quibus Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis a divinis, necnon omnibus, singulis ejusdem Majestatis tuæ Officialibus, & Ministris quoscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præminentie fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali nota dignis, etiam Apostolicæ Sedis Delegatis, & Commissariis, etiam Cruciatæ prædictæ, cæterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit sub prædicta excommunicationis majoris poena, ut præfertur, eo ipso incurrenda, ejus absolute itidem, ut supra reservata, ac sub obfatione divini Judicis, & in terminatione maledictionis æternæ districte præcipiendo mandamus, ne Ecclesias, & loca prædicta, ac Clerum, & Ecclesiasticos, aliosque præfatos indebite, neque ultra, præter, aut contra continentiam, & tenorem præsentium nostrarum literarum gravent quomodolibet, nec a quocumque gravari permittant, & nedum contra quoscumque contravenientes, & quomodolibet inobservantes ad sententiarum, & poenarum prædictarum declarationem, & promulgationem respectivo, sed etiam contra eosdem Ecclesiasticos, et Regulares etiam exemptos, nobisque, et Sedi Apostolicæ immediate subjectos, etiam Societatis Jesu solvere recusantes ad quamcumque simplicem eorumdem Exactorum requisitionem, etiam executive, ac quacumque appellatione remota, auctoritate nostra procedant.

Conditio.

§.3. Volumus autem, quod istud subsidium respectu contributionis Cleri, et Ecclesiarum, Locorumque piorum, et personarum Ecclesiasticarum prædictorum, Regnorum scilicet decem, et novem millionum prædictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum, et impositionum etiam pro militibus, et aliis quibuscumque impostorum, ac etiam loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per se, re: Innocentium Papam X., aliosque Prædecessores nostros hætenus approbatorum, et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a Clero, nec a quocumque Ecclesiarum, Locorum piorum, & Ecclesiasticorum prædictorum exigi possit, quodque pecunie ex prædictis subsidiis, & Gabellis, seu Sisis, ut præfertur, a dictis Ecclesiasticis exigen-

dæ in prædictos, & non in alios usus convertantur, super quo ejusdem Majestatis tuæ, ejusque Ministrorum, & Officialium quorumcumque conscientias oneramus.

Clausulas addit.

§.4. Decernentes præsentem literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, sicque, & non aliter quovis prætextu, ratione, vel causa per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata quacumque omnibus, & singulis quoscumque gradus, status, conditionis, qualitates, præemptivæ, & dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, etiam individua mentione dignis quomodolibet in contrarium judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, interpretari, & definiiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Generalibus Conciliis editis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Ecclesiis, Regnis, Personis, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, Collegiis, & aliis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda esset, illorum tenores, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio sum fides.

§.6. Ut autem præsentem nostræ literæ cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut eorum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et persona in dignitate Ecclesiastica constituta sigillo munitis, eadem prorsus fides in Judicio, et extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Apr. 1662. An. VIII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimo octava Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Pro-

CCCLXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Prorogatio Subsidii quadringentorum, & viginti millium Ducatorum super fructibus Ecclesiasticis universarum Hispaniarum, & Sardinie in favorem Regis Catholici.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Decreta summorum Pontificum recentis, & consensu.

§.1. Magnis causis adducti concessionem Subsidii annui quadringentorum, & viginti millium ducatorum ex fructibus, & redditibus ecclesiasticis Civitatum, & locorum Regnorum universarum Hispaniarum, ac etiam Sardinie clar. mem. Philippo II. Avo tuo Hispaniarum, Regi Catholico ad certum tunc expressum tempus factam, & deinde plures etiam a Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., ac Paulo V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris eidem Philippo Avo, & clar. similiter mem. Philippo III. etiam Hispaniarum Regi Catholico Genitori tuis, & a rec. mem. Urbano VIII., & Innocen. X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris per diversas eorum respectivo, & præsertim dicti Clementis sub dat. die 9. Februarii 1592. Pontificatus sui anno primo, & die 17. Junii 1660. Pontificatus sui anno primo, & die 30. Octobris 1602. Pontificatus similiter sui anno 12. & dicti Pauli sub dat. die 21. Junii 1605. Pontificatus sui anno primo, & die 7. Septembris 1611. Pontificatus pariter sui anno 7., & die 12. Novembris 1615. Pontificatus sui anno 11., ac die 21. Octobris 1619. Pontificatus etiam sui anno 15., necnon prædicti Urbani die 26. Martii 1624. Pontificatus sui anno 1., & deinde 3. Maii 1634. Pontificatus pariter sui anno 11., ac die 2. Junii 1635. Pontificatus sui anno 12., & sub die 9. Januarii 1639. Pontificatus etiam sui anno 16., ac Innocentii Prædecessorum, die 2. Januarii 1645. Pont. sui anno 1., & novissime die 22. Maii 1651. Pontificatus etiam sui anno 7. in hujusmodi forma Brevis expeditas literas ad quinquennium prorogatas, literasque omnes desuper confectas, quarum tenores, præsentibus haberi volumus pro expressis, motu proprio, ac ex certa scientia nostra, ac de apostol. potestatis plenitudine ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii, ut præfertur, prorogati numeram. extendimus, & prorogamus.

§.2. Et nihilominus Majestati tuæ illud ipsum annum Subsidium quadringentorum, & viginti millium ducatorum cum omnibus, & quibuscumque indultis, facultatibus, concessionibus, extensionibus, clausulis, & decretis in aliis tam Pii, quam Gregorii XIII., Sixti V., Gregorii XIV., Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

Clementis VIII., & Pauli V., & Urb. VIII., ac Innocentii X. Prædecessorum prædictorum literis contentis ad prædictum quinquennium a fine quinquennii ultimo concessorum, ut præfertur, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & assignamus. Ac propterea Ven. Fratris Carolo Archiepiscopo Corinthi moderno, & pro tempore existentis nostro, & Sedis Apostolicæ apud Majestatem tuam Nuncio necnon dilecto filio Petro Paceco jam. ejusdem Subsidii Exactoribus, & Commissariis Generalibus, & eorum cuilibet plenam, & liberam in præmissis facultatem, & auctoritatem tribuimus per te, vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerint ad executionem præmissorum, ac alias juxta facultates per dictos Prædecessores aliis Commissariis, & Exactoribus ipsis concessas omni, & quacumque appellatione postposita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Confirmat. ut in rub.

§.3. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus aliis, quæ dicti Prædecessores in suis literis prædictis voluerunt non ob stare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§.4. Ut autem præsentem literæ cum opus fuerit facilius ad omnium notitiam deduci possint, decernimus, ut eorum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis danda fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 18. Apr. 1662. An. VIII.

CCCCX.

Diversæ Ordinationes pro felici statu, & directione Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati.

Ex Regest. in Secret. Breve.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti Nobis cœlestis Pastoralis Officii ratio postulat, ut paternam religiosorum virorum pietatis studiis laudabiliter incumbendum, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesia Dei proferte jugiter satagentium curare gerentes, illorum prospero regimini, & felici directioni quantum Nobis ex alto conceditur salubriter consulere studeamus, prout prudenti deliberatione adhibita, in Domino cognoscimus expedire.

Freecium.

§.1. Alias siquidem Nos per quasdam nostras in simili forma Brevis literas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, decrevimus, ut dilectus filius Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati

Decretum. alias emittatur cum refert.

Ec 2 una